

librorum vulgarit, quem naevis non caruisse, ipsi protestantes fateri debent. Omittitur enim a *Melitone* liber *Estheris* certo divinus, et esdrino iudaeorum canone comprehensus: ponitur vero ab eodem episcopo inter libros omnium consensione approbatus liber *Sapientiae*, quem tamen deuterocanonicis accenseri, et nec in esdrino canone contentum, nec ab ipsis protestantibus olim receptum fuisse, constat. Parum igitur ex *Melitonis* canone adversarii lucrantur. At

8. DICES: s. *Athanasius* in synopsi canonem ss. librorum V. T. edidit prorsus conformem *Melitonis* catalogo. *Laodicenum* quoque concilium seculo 4 celebratum, libros deuterocanonicos V. T. in canone omittit: similiter *canon 85 apostolorum*, in catalogo ss. librorum omittit libros *Tobiae*, *Iudith*, et *Ecclesiastici*: ergo non est apostolica traditio, dictos libros esse divinos. R. Synopsis quae s. *Athanasii* dicitur, non habet auctorem s. *Athanasium*, sed alium quemdam seculi sexti scriptorem parum curandum, ut plerique ex eruditis hodie consentiunt. *Laodicenum* fuit 24 annis ante concilium carthaginense III, et tantummodo recensere voluit libros tunc ab ecclesia iam canonizatos, de reliquis vero praescindere, fortassis ob litem de libris canonicis a *Melitone Sardensi* priori seculo excitatam, et nondum in omnibus orientalibus ecclesiis extinctam. *Canon 85 apostolorum* est subreptitius quia ss. Scripturarum canonem etiam inserit *librum 3 Machabaeorum*, et *Clementis Epistolam duas* communi conciliorum ac ss. patrum sententia ex catalogo divinatorum librorum exclusas. Dein peritorum omnium iudicio certum est, ex 85 canonibus

(1) I. ad Timoth. c. 3, v. 15. Matth. c. 16, v. 18.

apostolorum ultimos 35 canones non semper cum orthodoxa fide concordare, ideoque a r. ecclesia fuisse reprobatos.

9. ARGUM. IV. Ecclesia nullam habet superioritatem in Scripturas divinas: ergo non potuit in Tridentino de iisdem iudicium ferre. R. Conc. ant. dist. cons.: non potuit ferre iudicium auctoritatis, ad quod requiritur superioritas, conc. cons.: non potuit ferre iudicium discretionis, quod nullam exigit superioritatem in id, quod discernitur, sed duntaxat ius et virtutem discernendi, neg. cons. Ecclesia, quia est columna fidei et veritatis, et infallibilem sibi a Christo assistentiam promissam habet (1), hoc ipso etiam habet ius discernendi Scripturas veras a falsis, et in hoc ei assistit Spiritus s., ne erret.

10. DICES I. Si ecclesia potest exercere iudicium discretionis circa divinas Scripturas, sequeretur, quod ecclesia sit regula s. Scripturae, non vero s. Scriptura ecclesiae: item, quod ecclesia pro libitu sibi statuatur regulam, qua in decidendis fidei controversiis utatur: sed utraque haec sequela est absurda et paradoxa: ergo. R. Nego utramque sequelam. Quamvis enim ecclesia sit nobis regula, seu potius magistra infallibilis ad veram Scripturam, eiusque genuinum sensum cognoscendum; ipsa tamen s. Scriptura sic cognita est et manet regula ecclesiae, quam haec in dirimendis fidei controversiis sequi debet. Unde ecclesia non pro libitu suo regulam fidei et morum eligit, sed eam a Spiritu s. constitutam et praescriptam habet, eamque semel agnitam, ut dixi, sequi debet. Quam parum enim iuris doctores sibi pro libitu vivendi regulam statuunt, dum diiudicant aut discernunt, quodnam sit genuinum ius naturae vel posi-

tivum, quidve istis iuribus praecipiat vel prohibeatur: tam parum ecclesia sibi met regulam fidei et morum propria auctoritate statuit, dum regulam hanc Deo illustrante infallibiliter agnoscit, et fidelibus sequendam proponit.

11. DICES II. Si ecclesia habet et semper habuit dictam potestatem infallibiliter discernendi libros divinos, non est ratio, cur illa primum tempore Tridentini hac potestate solemniter usa fuerit, clare et cum comminatione anathematis in secus asserentes lati definiendo ss. librorum canonem: ergo. R. Neg. ant. Idcirco primum in Tridentino id explicite definitum fuit, quia ante illa tempora nunquam erat tanta necessitas, quantam tridentinis patribus imposuit insatiabilis protestantium libido omnia novandi. Ceterum ex allata obiectione sequeretur grande illud absurdum et falsum, quod nimirum omnia concilia oecumenica perperam egerint, damnando novos errores, antea in ecclesia Dei nondum explicite damnatos. Nam ante Nicaenum I ecclesia nunquam tam clare et expresse definivit divinitatem Verbi, nec ante Constantinopolitanum I, divinitatem Spiritus s., nec ante Ephesinum unicum in Christo personam, et sic de aliis loquendo.

12. DICES III. Si iudicium ecclesiae circa scripta divina in Tridentino infallibile fuisset, tunc singulae partes s. Scripturae, prout in ecclesia catholica legi consueverunt (1), pro divinis habendae essent: sed hoc ne catholici quidem observant. Prob. min. *Caretanus* (2) aucter ait, quod auctor L. I Machab. (3) male intellexerit illam *Danielis* (4) pro-

(1) Vide Tridentinum sess. 4, in decreto de canonicis Scripturis.

(2) In cap. 24 Matthaei.

(3) I. Machab. c. 4, v. 57.

phetiam: *Erit in templo abominatio desolationis*, dum team applicat ad idolum *Antiochi* dicens: *Aedificavit rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei*. Et alibi idem auctor ait, libros Deuterocanonicos eatenus esse canonicos, quatenus regulares sunt ad aedificationem fidelium, non quatenus regula sunt ad firmanda ea, quae sunt fidei. Similiter *Sixtus Senensis* (5) septem ultima capita L. *Esther* numerat inter apocrypha ex *Iosepho iudaeo*, vel aliunde a quopiam interprete graeco pia intentione, sed Spiritu s. neutiquam dictante, apposita. Denique illis ambobus adhuc recentior *Elias Dupin* doctor sorbonicus (in Prolegomenis biblicis) ultima L. *Esther* capita pariter canone excludit. R. dist. mai. pro divinis habendae essent singulae partes, hoc est, additamenta illa, et partes olim controversae, quae nunc in Vulgata nostra a Tridentino approbata tanquam verae partes s. Scripturae extant, conc. mai.; singulae partes, hoc est, singulae voces vel particulae, quae vix partium nomen merentur, et dissensionem inter ipsos doctores catholicos obnoxiae sunt, neg. mai. Quando Tridentinum sess. IV, in decreto de canonicis Scripturis anathema dicit ei, qui *libros ipsos integros cum omnibus suis partibus*, prout in vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non agnoverit, non loquitur de particulis aut singulis vocibus, quae vix partium nomen merentur, et dissensionem inter doctores etiam catholicos obnoxiae sunt, sed de septem postremis capitibus L. *Esther*, de additamentis *Danielis* et similibus,

(4) Daniel. c. 9, v. 27.

(5) In Bibliotheca sancta, l. 1, sect. 3. prope initium; item l. 8, haeres. 11, in solut. obiect.

quae supra (1) enumeravimus, quaeque olim inter ipsos orthodoxos, tempore Tridentini vero inter hos et acatholicos controversa erant, num ad s. Scripturam pertineant.

Quod autem *Caietanum* et *Sixtum Senensem* attinet, uterque erravit. Et *Caietanum* quidem, qui ante Tridentinum scripsit, merito redarguit et refutat *Canus* (2): bona tamen fide egisse censendus est. *Sixtus* vero *Senensis*, qui suam bibliothecam sanctam, in qua septem ultima *Estheris* capita inter apocrypha numerantur, post Tridentinum scripsit (3) tamen studiose conatur huius concilii oecumenici infallibilitatem salvare, ita (4) pronuntians: « Sed venit hoc loco in mentem simul admonere et adhortari pium ac benevolum lectorem, ne me temeritatis arguat, quod haec septem postrema capita (*Estheris*) a canonicis scriptis avulsa in hunc ultimum apocryphorum ordinem redegerim, ac si oblitus sim decreti sanctae synodi tridentinae, quod sub anathematis interminatione recipi iubet omnes libros integros, prout in ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur. Est enim canon ille intelligendus de veris ac germanis partibus, quae ad librorum integritatem spectant, non autem de laceris quibusdam appendicibus, et pannosis addita-

(1) Num. 1.

(2) L. 2 de locis theol. c. 10 et 11 in solutione quarti argumenti.

(3) Tridentinum finitum est an. 1563, die 5 decembris: *Sixtus senensis* vero suam bibliothecam sanctam scripsit an. 1566, et mortuus est ann. 1569; prout lexicon univers. basileense testatur.

(4) L. 1 biblioth. sanct. sect. 3, prope initium.

(5) Verba *Bellarmini* lib. 1 de verbo Dei, c. 7, non longe ab initio sunt ista: « Sed concilium, inquit *Sixtus*, de veris librorum partibus loquitur, non de ad-

mentis incognito a quovis auctore appositis et utcumque insutis, qualia sane sunt huiusmodi ultima (*Estheris*) capitula. » Quamvis autem haec expositio Tridentini falsa sit, et a *Bellarmino* (5) merito refutata, ac iussu sacrae inquisitionis correctata; tamen ex illa patet *Sixtum Senensem* non negasse, sed supposuisse infallibilitatem ecclesiae in iudicio circa veras Scripturas a falsis discernendas ferendo, solumque male exposuisse verba tridentini. Verum de *Sixto Senensi* infra num. 63 sermo redibit.

De *Elia* autem *Dupino* notandum, quod suam de ultimis capitibus L. *Esther* sententiam ab archiepiscopo parisiensi condemnatam retractarit cum aliis per bibliothecam suam sparsis erroribus, quemadmodum constat ex libello Parisiis an. 1693 impresso, ubi *Dupinus* ita ait: « Post *Sixtum Senensem* defendi posse putaveram, dubiam esse... ultimorum *Estheris* capitum canonicitatem... Cum vero significatum mihi fuerit, huius (opinione) capacia minime esse praecisa concilii verba, quibus omnes libros in suo expressos catalogo, pro canonicis haberi mandat, integre et secundum partes ipsorum, ut solent legi in ecclesia catholica... sententiam mutavi, et pro canonicis habeo. » Ceterum *Dupinus* aliunde ob novas opiniones, syste-

ditamentis, qualia sunt postrema capita libri *Esther*. Atqui si ista *Sixti* responsio vera esset, multae aliae partes sacrorum librorum, *Danielis*, *Marci*, *Lucae*, *Ioannis*, apud catholicos in discrimen vocarentur. Quid enim haberet *Sixtus*, quod diceret, si ei ad eas partes divinatorum voluminum conservandas, concilii decretum quasi murum quendam obicianti, responderetur ab adversariis; concilium de veris partibus esse locutum, ea vero additamenta esse, non partes? Ita *Bellarminus*.

mata, et errores tanquam intemperantioris criticae scriptor satis famosus est.

13. ARGUM. V. Libri canonici V. T. non aliunde, quam ex canone esdrino iudaeorum dignosci debent: ergo cum libri deuterocanonici V. T. non fuerint in canone esdrino, non sunt libris canonicis accensendi. Prob. ant. Teste apostolo (1), solis iudaeis usque ad Christum credita erant eloquia Dei: et ipsi tanquam capsarii nostri ea christianis tradiderunt, dicente *Augustino* (2): *Tanquam capsarii nostri sunt (iudaei), studentibus nobis codices* (V. T.) portant: ergo. R. neg. ant. ad prob. conc. ant. neg. cons. Nam apostolus loc. cit. generatim commendat beneficentiam Dei erga iudaeos, quod illis, non vero gentilibus, legem suam, sive oracula prophetarum etc. dederit atque crediderit, nil autem decidit de numero sacrorum librorum. Et sane eloquia Dei tam continentur in canone esdrino, quam in canone iudaeorum hellenistarum, in quo iuxta supra (3) dicta etiam libri deuterocanonici V. T. continebantur. Utriusque dein canonis libros iudaei tanquam capsarii attulerunt christianis.

14. ARGUM. VI. Saltem canon catholicus librorum novi Testamenti debita caret antiquitate et authenticitate; quia primum fuit confectus post 60 annos a morte Christi: quidam existimant, editum fuisse *Hadriano* imperante, id est, circa annum 117 aerae christianae: imo *Ioannes Clericus* illum circa saeculum decimum tertium proculsum atque orbi fuisse obtrusum contendit (4). R. Ri-

(1) Ad Rom. c. 5, v. 2.

(2) Enarrat. in psalm. 40.

(3) Num. 5, argum. 1.

(4) Le Clerc biblioth. ancienne et moderne, tom. 22, p. 2, a. 4.

dicula plane obiectio, quae librorum V. T. auctoritatem ex eo impugnat, quod eorum collectio facta non fuerit, antequam scripti essent omnes hi libri. Editi enim sunt diversis temporibus, prout occasio sese offerebat ab anno 40 usque ad annum 97 aerae christianae. Quid ergo mirum, quod canon seu collectio librorum N. T. non statim totus primis a morte Christi annis extiterit? Ceterum ipse s. *Ioannes evangelista*, teste *Eusebio*, divinatorum librorum canonem, et tria evangelia in suam et aliorum notitiam perlata, suo testimonio tanquam genuina, et Deo inspirante scripta confirmasse dicitur. Obiit autem s. *Ioannes ev.* Ephesi (5) anno Christi centesimo, cum iuxta s. *Epiphanium* (6) natus esset annos 94. Iuxta alios longe senior obiit, aetatis suae anno vel 98, vel 99, seu etiam 104, vel 106, sive demum 120 (7). Porro *Clerici* deliramentum de nostro N. T. canone circa saeculum 13 primum proculsum satis ex eo confutatur, quod pp. tridentini canonem sacrorum librorum utriusque testamenti acceperint a concilio florentino, hoc a concilio romano sub *Gelasio I* papa an. 494; hic ab *Innocentio I* in epistola ad *Exuperium* saeculo 5, item a concilio carthaginensi III, cui s. *Augustinus* interfuit, quodque anno 397 celebratum est; ac tandem per traditionem continuam a temporibus apostolorum (8). Hac vero traditione apostolica destitutus *Clericus*, omni destituitur solida auctoritate suorum bibliorum contra deistas aliosque incredulos afferenda.

15. ARGUM. VII. In libris deute-

(5) Vide s. *Augustini* serm. 255, c. 4.

(6) Haeres. 51.

(7) Vide *Calmeti* dictionario bibl. v. *Ioannes ev.*

(8) V. supra num. 1, 2, 3 et 4.

ro-canonice *Tobiae, Judith, etc.* non paucae occurrunt narrationes falsae, aut antilogiae sive contradictiones; ergo hi libri non sunt divini. R̄. dist. ant. Multae occurrunt narrationes falsae aut contradictiones apparenter tales, conc.; vere tales, neg. Contrarium ostendunt interpretes orthodoxi, nosque ipsi plerasque aut praecipuas harum antilogiarum aut falsitatum solum apparenter talium per decursum huius et sequentium operum explicare et displicere conabimur. Ceterum apparentes huiusmodi antilogiae seu contradictiones non tantum in libris deuterocanonice, sed etiam in proto-canonice quos tamen omnes christiani tanquam divinos agnoscunt et agnoscere debent, frequenter occurrunt, ut videre est apud s. Augustinum (1), Tirinum (2), aliosque s. Scripturae interpretes passim. Quam parum igitur eiusmodi antilogiae aut falsitates apparenter solum tales, canonicitati librorum proto-canonice obest, tam parum illae canonicitati librorum deuterocanonice officiant.

16. SCHOLION. Causae, ob quas Deus tot apparentes antilogias sacris literis inesse voluerit, aut permiserit, possunt esse variae. Scripturistae solent afferre sequentes: Ut in enodandis his difficultatibus hominum ingenia utiliter exercéantur, superbia humana melius comprimatur, necessitas recurrendi ad pastores ecclesiae, et supremum controversiarum iudicem apertius agnoscatur, mysteriorum altitudo, quibus divina Scriptura abundat, luculentius ostendatur; tum etiam ut per has ipsas apparentes contradictiones et difficultates bona et sincera sacrorum scriptorum fides palam innotescat, nec ulli suspi-

(1) In II. de consensu evangelistarum.

cioni locus sit, sacros scriptores quasi ex conducto ad talia scribendum conspirasse, aut unum aliquem omnia confinxisse. Praeterea multae apparentes antilogiae aut obscuritates solum oriuntur ex versionum s. Scripturae varietate, ex diversitate morum illius temporis a nostris moribus, ex ignorantia multorum factorum et rerum tum, cum libri illi primitus scripti sunt, omnibus notorum, nunc vero post tot saeculorum decursus et infinitas mutationes plane ignotorum. Et vero, an non similes difficultates in quovis scripto paulo antiquiore observamus? Norunt id satis, qui vel olim vel nunc novas editiones *Homeri, Horatii, Ciceronis* etc. evulgare, vel commentaria in hos auctores scribere voluerunt. Denique utinam omnes increduli, qui librum *Esther*, aliosve libros a Tridentino pro canonicis habitos ea maxime de causa reiiciunt, quod in iis non paucae contradictiones sive chronologicae, sive historicae appareant, utinam, inquam, attenderent ad sapientissimam illam criticam regulam, quam celebris ex ipsorum protestantium numero *Drusius* occasione quarundam in septem ultima *Estheris* capita obiectionum proponit. « Cum, inquit, a tempore, quo libri hi scripti sunt, distemus maxime, neque historiae tam remotorum saeculorum notitiam habeamus nisi obscurissimam, non licet nobis absque temeritate ob historicas aut chronologicas coniecturas illud reiicere, quod ab auctoribus, qui nobis proximiores fuere temporibus illis receptum novimus, quin iis quae nos morantur difficultatibus deterrentur. »

Sed pergamus iam ad argumenta particularia contra *L. Tobiae*, et vi-

(2) In indice harum antilogiarum ad finem, tom. 2 posito.

deamus, quomodo apparentes antilogiae, aut aliae difficultates in hoc libro deuterocanonice occurrentes solvendae sint.

17. QUÆRES II. *Quo sensu de amicis Iob, qui eum consolandi causa (Iob 2, v. 15) accesserant, dici possit (Tob. 2, v. 15):* BEATO IOB INSULTABANT REGES. *An amici Iob fuere reges? Item, an consolari est insultare?* R̄. Amici Iob fuere reges non quales hodie reges in Europa, sed quales olim triginta et unum devicit *Iosue* (1), aut quales septuaginta reges sub mensa *Adonibezec* (2) reliquias ciborum carpebant, nempe reguli seu principes aliquot oppidorum. Ceterum amici Iob etiam in graeca versione libri Iob (3), et apud veteres quosdam auctores (4) reges vocantur. Venerunt autem hi tres reges seu amici Iob hac quidem mente, ut eum consolarentur, et initio quidem cum dolente doluerunt: sed in decursu colloquiorum calamitosos Iobi casus importunius exagitabant, et misero insultabant; prout ex sacris literis (5) manifeste patet.

18. QUÆRES III. *Quomodo (Tob. 1, v. 2) cum veritate dici possit, quod senior Tobias captus fuerit in diebus Salmanasar regis Assyriorum; cum tamen alibi (IV Reg. 15, v. 29) expresse dicatur, quod Theglathphalasar, qui Salmanasarem in regno Assyriorum praecessit, cepit universam terram Nephthali, et in Assyrios transtulerit? Certe etiam Tobias fuit ex tribu et civitate Nephthali (Tob. 1, v. 1), ac proin iam sub Theglathphalasare captivus factus est. Ita protestantes. Sed R̄.*

(1) Iosue, c. 12. (2) Iud. c. 1, v. 5-8.
(3) Iob. c. 2, v. 11.
(4) Vide Aristaeam de 70 interpret. et Alex. polyhist. apud Euseb. praepar. l. 9.
(5) Iob. c. 6, v. 26 et 27; item c. 19, v. 2, 5 et 5.

et dico, nusquam legi, in prima israelitarum deportatione sub *Theglathphalasare* factam, incolas prorsus omnes terrae *Nephthali* fuisse in captivitatem translatos, nullamque se familiam subduxisse. Neque id evincitur ex citatis s. Scripturae (6) verbis universaliter dicentis, a rege *Theglathphalasare* captum esse universam terram *Nephthali*, et in Assyrios translata. S. Scriptura enim saepe loquitur in sensu universaliter duntaxat accommodo, soletque tribuere universaliter omnibus vel universis, quod reapse tantum convenit plerisque; prout iam alibi (7) demonstravimus. Dein incertum est, utrum *Tobias* cum familia sua tunc, quando prima illa deportatio sub *Theglathphalasare* facta est in regione *Nephthali* commoratus fuerit, non Hierosolymae, quo singulis annis (8) itabat aut alibi locorum. Illud omnino certum, quod post primam illam deportationem multi israelitarum manserint in terra Israel: quemadmodum accidit etiam post alteram captivitatem populi huius, et excisum penitus Israelis regnum. Nam nihilominus plures in terra Israel perstiterunt; uti patet ex tributo ab reliquiis earum tribuum deinceps per *Iosiam* regem Iuda (9) exacto. Quanto igitur id magis evenit post primam deportationem? Proin captus facile est, quod *Tobias* serius in captivitatem abductus sit, quam ceteri israelitae, qui iam sub *Theglathphalasare* in eandem abstracti sunt.

19. QUÆRES IV. *An non sit contradictio, dum (Tob. 3, v. 7) dicitur Sara, quam in uxorem habiturus*

(6) IV. Reg. c. 15, v. 29.
(7) S. Scriptura contra incredulos propugn., V. T., p. 5, sect. 1, q. 58, n. 42; item q. 51 in nota (5).
(8) Tob. 1, v. 6.
(9) II. Paralip. c. 54, v. 9.

erat Tobias iunior, habitasse in Rages civitate Medorum, ubi etiam fuisse Gabelum habemus (Tob. 4, v. 21); cum tamen postea quando Tobias cum angelo Raphaële pervenit ad locum (Tob. 7, v. 1 etc.) ubi erat Sara, inde miserit angelum (Tob. 9, v. 3) ad Gabelum in Rages civitate Medorum? Quomodo ista concordant? Quomodo angelus ex Rages civitate Medorum, in quam erat, potuit a Tobia mitti in Rages civitatem Medorum ad Gabelum? R. Nulla hic est contradictio. Quadruplex autem est responsio, qua apprens haec antilogia nobis contra librum Tobiae a protestantibus obiecta, dilui et ad nihilum redigi potest. Prima est aliquorum dicentium, in Media fuisse duas civitates eodem nomine Rages insignitas; sicut in Palaestina duae urbes dicebantur Bethleem, una, quae Christo Domino natale solum praebuit, et vulgo dicitur Bethleem Iuda, altera urbs tribus Zabulon (1), vel sicut in Europa duae urbes dicuntur Vienna, nimirum Vienna Austriae, et Vienna in Gallia. Et sane dum de Gabelo (2) dicitur: Qui moratur in Rages civitate Medorum, quae posita est in monte Ecbatanis, haec ultima verba, quae posita est in monte Ecbatanis videntur esse addita ad differentiam alterius civitatis Rages, in qua Sara habitabat. Potuit igitur angelus ex hac civitate mitti ad aliam eiusdem nominis, ubi Gabelus morabatur.

Alter responsio, quam etiam Bellarminus (3) amplectitur, est illorum, qui dicunt, sedem, in qua tunc morabatur Sara, vocari (4) Rages non ipsam civitatem, sed lo-

(1) Iosue c. 19, v. 15. Item vide Calmeti, dictionar. bibl. Bethleem.

(2) Tob. c. 5,

(3) L. 1 de verbo Dei, c. 11.

(4) Tob. c. 5, v. 7.

cum aliquem huic civitati vicinum. Dicitur enim habitare Romae e. g. qui Tusculi vel alibi in agro romano habitat. Potest itaque dici, Raguelem cum Sara filia domicilium habuisse in villa prope urbem Rages, Gabelum vero habitasse in hac ipsa urbe. Raguelem enim cum esset ditissimus, plures censendus est habuisse domos, unam in civitate Rages, aliam ruri, in qua tunc morabatur. Cum ergo iam tempus urgeret in patriam redeundi, Tobias neo-nuptus ad Gabelum in civitate Rages commorantem delegavit Azariam, i. e. angelum Raphaëlem, ut pactam pecuniam ab eo reciperet; ipse vero cum Sara nova sua coniuge remansit in domo Raguelem, in villa scilicet, quam in agro vicino possidebat Raguelem, ad quam invitatus ab angelo Gabelus venit, et cum ceteris nuptiale convivium egit, ut Scriptura expresse (5) narrat.

Tertia responsio est Medinae (6) et aliorum suspicantium, Tob. 3, v. 7, mendum irrepsisse in nostram vulgatam latinam, ut in ea scriberetur Rages pro civitate Ecbatanis, in qua Sara habitavit. Nam tam in editionibus hebraicis Münsteri et Fagii, quam in versione syriaca et antiquissima graeca loc. cit. non legitur Rages, sed Ecbatanis civitas his verbis: ἐν Ἐκβατανοῖς πρὸς Μηνδίας. Verum Bellarminus (7) vix credibile esse putat, hunc errorem de scribentium incuria aut imperitia contingere potuisse, cum nulla sit inter Rages et Ecbatana similitudo. Unde supra allatam responsionem 2 praefert.

Quarta responsio est Tirini (8)

(5) Tob. c. 9, v. 7, usque ad finem capituli inclusive.

(6) Lib. 6 de recta in Deum fide, c. 14.

(7) Loc. cit.

(8) Comment. in Tob. c. 9, v. 5.

dicentis, totam illam regionem, in qua tam urbs Ecbatanis, quam urbs Rages extiterat, antiquitus vocatam esse Rages; quia saepe tota aliqua provincia nomen habet a metropoli. Sic Neapolis in Italia et civitas est, et regnum. Brunswicum in Germania est et urbs, et ducatus. Geldria, Namurum in Belgio urbes sunt, et integrae provinciae. Sara ergo eiusque parentes, inquit laudatus auctor, habitabant Ecbatanis in regione seu provincia Rages, sed Gabelus in ipsa urbe Rages. Neque obest, quod sacer textus (1) dicat Saram habitasse in Rages civitate medorum. Nam civitas apud Caesarem, aliosque probos latinatis scriptores, regionem quoque et provinciam designat.

Ex tam multiplice responsione abunde patet, nullam realem, sed duntaxat apparentem antilogiam in citatis L. Tobiae textibus inveniri.

20. QUÆRES V. An non apertam fabulam sapiat, quod (Tob. 3, v. 8) narratur, scilicet Saram traditam fuisse septem viris, et daemonium nomine ASMODAEUS occidisse eos, mox ut ingressi sunt ad illam? Item quod in versione graeca LXX interpretum (Tob. 6, v. 15) dicitur, nimirum Saram fuisse adamatam a daemonio? Quis enim credat daemonem, qui est purus spiritus, carnaliter dilexisse Saram, et ex zelotypia septem illos viros occidisse? R. ss. patres et concilia, quibus liber Tobiae canonicus est, hanc quoque narrationem veram habent, et merito; nil enim aliud continet, quam septem Sarae maritos ob suam lasciviam ab Asmodaeo, qui iuxta Cornelium a Lap. (2) et alios est daemon ad venerem incitans, morte

(1) Tob. c. 5, v. 7.

(2) Comment. in Tob. c. 5, v. 8.

(3) Erat vulgaris chaldaeorum persuasio, a materia sensuque non penitus se-

affectos fuisse. Quid autem hic fabulam sapit, daemon ad lasciviam incitans, vel lascivia morte castigata? Neque quidquam fabulosum aut incredibile continet versio graeca LXX interpretum. Textus enim graecus non absolute dicit, quod daemon Saram adamaverit, sed duntaxat Tobiam iuniorem id dixisse his verbis: *Et timeo, ne ingressus moriar quoniam daemonium amat ipsam.* Potuit autem Tobias, cum esset iuvenis, facile vulgi rumoribus, in hanc opinionem erroneam (3) induci, daemonem Sarae amore flagrasse, et ex zelotypia necem intulisse iis, qui ad eam accesserant. Vera autem causa terribilis huius eventus (ut Calmet recte docet) erat, quia Deus noluit, virum aliquem ad Saram accedere, ut eam Tobiae reservaret, iuxta illud (4) angeli Raphaëlis ad Raguelem dicentis: « Noli timere dare eam isti (nimirum Saram Tobiae iuniori), quoniam huic timenti Deum debetur coniux filia tua: propterea alius non potuit habere illam. » Unde Deus copiam Asmodaeo fecit, in eos, qui eam ex libidinoso affectu tangere auderent, furorem suum ac nequissimam voluntatem exercendi, quae hominum perniciem duntaxat quaerit et interitum.

21. QUÆRES VI. An a mendacio excusari possint, quae in libro Tobiae angelus Raphaël de se affirmasse legitur? E. g. dum (I) interrogatus a Tobia iuniore, unde esset? respondit (Tob. 5, v. 7) se esse EX FILIS ISRAEL. Dum (II) de via in Mediam interrogatus ait (Ibidem v. 8): NOVI, ET OMNIA ITINERA EIUS FREQUENTER AMBULAVI, ET MANSI APUD GABELUM FRATREM NOSTRUM. Dum (III) rogatus de familia sua, inquit (Ibid.

cretos daemones esse. Cuius sententiae etiam patres nonnulli fuerunt.

(4) Tob. c. 7, v. 12.